



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Constitvtiones Societatis Iesv**

**Ignacio <de Loyola>**

**Romae, 1570**

De Cursibus, Et gradibus. Cap. XV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68489](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68489)

DE CURSIBVS, ET  
gradibus. Cap. XV.IN Caput  
XV.

**I** **A** IN litteris humanioribus, & lin-  
guis \* cursus temporis limita-  
tus ad earum studium absoluen-  
dum esse nequit, propter inge-  
niorum & doctrinæ auditorum  
varietatem, multasque alias cau-  
sas; quæ non aliam temporis præ-  
finitionem, quàm quæ unicuique  
conuenire iuxta prudentis Recto-  
ris, vel Cancellarij arbitrium vi-  
debitur, permittunt.

**2** In Artium studio cursus erunt  
ordinandi, in quibus Scientiæ Na-  
**B** turales \* ( ad quas minus, quàm  
trium annorum, spatium satis nõ  
erit ) prælegantur; præter quos  
medius adhuc annus ad audita  
repetenda, & actus scholasticos  
celebrandos, & gradum magiste-  
rij suscipiendum ijs, qui eum su-  
scepturi sunt, relinquetur. Cur-  
sus

quis ad gradum magisterij promoueat, tres annos, vt  
dicitur, studuerit oportet: et tantundem de quatuor Theo-  
logiæ annis, ut ad actus admittantur, et in eadem gradum  
doctoratus accipiant, dictum sit.

**A** ¶ **B**ONO  
ingenio  
præditis, qui stu-  
dia inchoant, vi-  
deatur, an medius  
annus in quauis  
quatuor classum  
inferiorum sufficiat,  
& duo in supre-  
ma; quod tempus  
Rhetoricæ, & lin-  
guarum studijs im-  
pendatur, certa ta-  
men regula præ-  
scribi non potest.

**B** ¶ Si aliquis  
alibi audiisset ali-  
quid ex artibus li-  
beralibus; posset  
eius temporis ra-  
tio haberi: vt plu-  
rimùm tamen, vt

**C** § Si opportu-  
num non fuerit id  
ita omnino presta-  
re, uel quòd desint  
homines, uel alias  
ob causas; presta-  
bitur cum Prepo-  
siti Generalis, uel  
certè Prouincia-  
lis assensu, quod po-  
terit.

**D** § Si talis ef-  
set rerum status  
in aliquo Collegio,  
uel Vniuersitate  
Societatis; ut se-  
cundo quoque an-  
no inchoare meli-  
us uideretur, uel  
aliquatò post quar-  
tum; de consen-  
su Generalis, uel  
Prouincialis fieri  
poterit quod ma-  
gis conuenire com-  
perietur.

**E** § Si iustas ob  
causas aliquis pu-  
blice non exami-  
nandus

sus ergo integer trium erit anno-  
rum cum dimidio usque ad pro-  
motionem ad magistrerium. \* Sin-  
gulis autè annis vnus huiusmo-  
di cursus inchoabitur, & alius  
cum diuino auxilio absoluetur.

Theologiæ curriculum sex an-  
nis emetietur. In primis qua-  
tuor ea omnia, quæ legi oportet,  
prælegentur; in duobus re-  
liquis, præter repetitionem, actus  
soliti ad gradum doctoratus ab-  
ijs, qui promouendi sunt, absol-  
uentur. \* Quarto quoque anno  
ordinariè cursus inchoabitur,  
sic libris prælegendis distribu-  
tis, ut quolibet quatuor anno-  
rum quiuis studiosus inchoare  
possit; & quod reliquum est in-  
cepti quadriennij, & eius, quod  
sequitur, quadriennij, usque ad  
illum terminum, unde inceperat,  
audiendo, quatuor annis per-  
agere omnino cursum Theolo-  
giæ possit.

In gradibus tã magistrerij Ar-  
tium, quàm doctoratus Theolo-  
giæ tria obseruentur; Primùm,  
nequis nisi diligenter \* & publi-  
cè exami-

eè examinatus' (per personas designatas, quæ bene suum officium faciant) & idoneus ad prælegendum eandem Scientiam inuentus, promoueatur, siue ille de Societate sit, siue extra eam: Alterum, vt præcludatur ostium ambitioni, nullis locis certis eis, qui ad gradus promouentur, assignatis; quin potius honore se inuicem præuenire, nulla locorum differentia obseruata, curent: Tertium, vt quemadmodum gratis docet, ita & ad gradus Societas gratis promoueat,

F \* & non nisi admodum exigui sumptus (licet voluntarij sint) externis permittantur: ne consuetudo vim legis tandem obtineat, & in ea parte temporis decursu excessus fiat. Videat etiam Rector, ne Magistris, vel vllis alijs de Societate sibi, aut Collegio pecuniam, aut dona quæuis ab vlllo pro re quauis in ipsorum vtilitatem facta accipere permittat; quandoquidem præmium nostrum solus Christus Dominus iuxta nostrum Institutum futurus est; qui est merces nostra magna nimis.

*nādus videretur; habita à Generali, vel Prouinciali facultate, fieri poterit quod Rector ad maiorem Dei gloriam fore iudicauerit.*

F ¶ *Et sic non permittentur conuiuia, nec alij ludi, qui cum sumptibus non mediocribus fiunt, & ad finem nobis propositum inutiles sunt: nec pilei, aut chirothecæ, vel quid aliud detur.*

IN Ca-

DE